



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

Epistola XII. Simplicii papæ ad Zenonem imperatorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

cernat: quia rursus asseritur aliqua contra dispositionem fidei ipsius sine cessatione moliri. Quia igitur hæc opportunitate perlatoris fidissimi nos oportuit indicare, & specialius admonere, hortamur, ut cum internuntius remeare cœperit, vel si qua forsitan altera occasio reperiatur, quamprimum nos facias certiores, & curam nostram subleuare deproperes. Ut autem perfecto gaudio gauderemus, idem frater & coepiscopus noster Timotheus exemplum libelli satisfactionis eorum, quos a catholicæ fidei veritate Timotheus & Petrus utriusque damnati, damnationis terrore traduxerant, veniam postulantes, ad nos pariter destinauit, sacerdotali pietate lapsis subuenire defiderans: quod diuinæ miserationis intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putamus.

## EPISTOLA XII.

## SIMPLICII PAPÆ

AD ZENONEM IMPERATOREM.

Hortatur ut Timotheum Alexandrinæ ecclesiæ sua opera restitutum protegat, & ut Petrum eiusdem ecclesiæ perturbatorem longius expelli iubeat.

*Simplicius episcopus Zenoni Augusto.*

**P**ROXIME quidem cum ad urbem frater & coepiscopus mediocritatis meæ Timotheus Alexandrinæ urbis antistes nouato more misisset, victoriam vestræ fidei in eius restitutione cognoui. Pietate enim vestra fulta diuinitatis auxilio, & imperii tranquillitas, & catholicæ religionis splendorem suum, scandalorum nube discussa, recepit integritas: de quo me gratias post Deum clementiæ vestræ egisse reminiscor, & nunc quoque cultum vestro regno debitum silere non potui, ne quodammodo viderer ingratus, si vobis qualibet opportunitate vel imperii vel ecclesiarum laudare desisterem tot triumphos. Exhibens ergo debitæ venerationis officium, precor ut studiosius circa vniuersos rectas fidei sacerdotes, & maxime circa Alexandrinum episcopum, cuius certaminis & testes fuistis & iudices, protectionis impendatis auxilium, & decernatis piissimis constitutis Petrum sedis ipsius peruersorem (cui nec in diaconatu suus potuit or-

<sup>\* f. infir-</sup> do constare) longius a tam præclara ciuitate relegari, ne  
<sup>mioris</sup> infirmiores fidei aliquos forte seducat, & in eadem ec-  
 clesia ( quod absit ) quæ sopiaſtis scandalū rurſus exagitetur.  
 Probaſtis in corpore illum vobis dexteræ ſuæ dediſſe præ-  
 fidium, qui ad totius orbis gaudium, & in ecclesiæ vni-  
 uerſalī exultationem in veftra clementia Romanum fer-  
 uat imperium. Data x. Kalendas Nouembris, Illo viro  
 clarissimo conſule.

## EPISTOLA XIII.

## SIMPLICII PAPÆ

AD ACACIVM.

Eadem quæ in superiori epiftola.

*Simplicius episcopus, Acacio episcopo Constantinopolitano.*

PROXIME quidem dilectioni tuæ, potentibus his qui  
 ad nosa fratre & coepiscopo nostro Timotheo Ale-  
 xandrinae ecclesiæ antistite direc̄ti fuerant, commune  
 gaudium literis indicaui, & de fructu piissimi operis, quod  
 catholicus memoratae ecclesiæ ſacerdos eſt reſtitutus, pa-  
 riter nos gaudere memoriaui: quod nunc quoque ſignifi-  
 care properauimus, vt agnosceres gaudia silentium non  
 amare. Vnde ſemper exultans, & orationum communium  
 cupiens vota ſociari, hortor, frater cariſſime, vt  
 rebus per clementiſſimum & Christianiſſimum principem  
 Deo auctore compositis, diligentia ſolicitudo non  
 defit: ſed Petrus ab indebito ſibi honore deiectus, in A-  
 lexandrina regione non ſinatur habitare, ſed procul extra  
 terminos patriæ, ſicut etiam nos popoſcimus, frequenti  
 eum poſtules ſuggeſtione relegari; ne quos imperitorum  
 prauitatis ſuæ perſuafionē ſeducat, & a catholicæ tramite  
 veritatis auertat. Quidquid autem de religioſiſſimo im-  
 petrabis imperio, cura tuæ dilectionis ad meam notitiam  
 faciat peruenire, & nos auctuum ad custodiā euangeli-  
 cæ doctriñæ pertinentium det eſſe conforites. Data 16.  
 Kalendas Nouembris, Illo viro clarissimo conſule.

## NOTA.

<sup>\* Epiftola.</sup> ] Timotheus Alexandrinus episcopus in ſedem reſtitu- <sup>Timotheus</sup>  
 XXX iiij